



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

V. Leno.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

profecto sortem tuam, si putas aliud iudices debere respicere, quam quod nolis. ¹Hanc crucem patere, si gravis est: hunc diem, si odisti, vide. Nihil illi adversus patrem ²liceret, etsi parricida non esset.

V.

Leno.

Juvenes frequenter ad lupanar veniebant; cum his leno frequenter denuntiasset, ne accederent, foveam fecit, & complevit ignibus. adolescentes cum venissent, exusti sunt. accusatur à parentibus eorum leno læsæ reip.

CONTRA LENONEM.

Denuntiavi, inquit. dii boni! ³quantum ausus est, quod ne post denuntiationem quidem creditum est. Fuit in illis summa pietas; placuere parentibus: summa frugalitas; displicuere lenoni. Tu te jure audes defendere? nihil ei licet, in quem nihil non licet. Denuntiavi, inquit. novimus lenonum venales minas. Injuriam, inquit, faciebant mancipiis meis. Quid enim aliud in his, quam injuriam vendis?

PARS ALTERA.

Ubi, quid futurum est denuntiatum, culpa ⁴patientis est.

VI.

Decreto de reditu occisus.

Adolescens dives nobilis, hospitatus apud exulem. exul scripsit Senatus velle se indicare de affectata tyrannide. Senatus revocandum censuit, hoc divite contradicente, dum revertitur exul, occisus est. accusatur dives affectatæ tyrannidis.

CONTRA DIVITEM.

Intercepisse te putas indicium: ipse fecisti. Secundum sententiam divitis, pauper non est reversus: dicturum se de

¹ Hanc crucem.] Forte: Hanc lucem. Gron.

² Liceret, si p. n. e. Pith.

³ Quantum ausus est.] Lege: Quanti

ausus est. Hoc est, quantum ausos dicis, qui tuæ scilicet denuntiationi non crederunt. Gron.

⁴ Patientis.] Vet. parentis. Pith.